



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XII. Exemplum seueritatis in dissolutæ vitæ Abbatissam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

## CAPVT XI.

*S. Kunegundis signo crucis incendium exstinguit.*

**I**Um post Orationis frequentiam inter lectionis lassitudinem ancilla Christi in lecto non plumis exstructo, sed cilicio strato, membra sopore grauata remisisset, puella sacrata, quæ de more illi assidebat, sacros codices legens, cum ferè ad medium noctis lectionem extenderet, caligantes oculos clausit, lumenque è manibus illius prolapsum paleas corripiens, sui fragore circumiacentes sorores excitauit. Clamore ex concursu facto, Virgo Christi de somno excussa, dum colluctantes inter se, & concrepantes flammæ circa se aspexit: ad orationis arma se conuertit, & signo Crucis adustionem illam absque omni suarum læsione uelium auertit. Tua sunt hæc, Christe, opera: qui olim Babylonium Regem in suo furore confudisti, & Chaldaicos ignes, ut pueri tui liberarentur illæsi, tua uirtute exstingisti.

## CAPVT XII.

*Exemplum seueritatis in dissoluta uita Abbatissam.*

**I**llud miraculum tam stupendum, quàm mirandum huic placuit inscribere, in quo animi illius constantiam, & rigoris seueritatem discere poteris. Habuit secum sororis suæ filiam, \* Utam nomine. Hanc à primis annis educatam, omni disciplina, secularium quoque literarum scientia instruxerat. Hæc materteram non minus religionis, quàm dilectionis amore secuta, & consecrata fuit. Quam in omnibus plenè instructam, ubi eius in orationibus vigilantiam, in ieiuniis perseuerantiam, & ad omnia patientiam perspexit, omnium assensu & rogatu, primam in ipso cœnobio eam Abbatissam præfecit. Tum verò mater

\* Hoffmannus  
Iudithã vocat.

filiam suscipiens, iuxta commonitionem sanctam dudum habitam; præcedentium illi Patrum repetens alloquia, monet ob salutis affectum vtilia, ac Deo placita sæpe dicere, frequenter audire, solitas religiosi itineris vias non deserere, magis magisque errorum deuia, & diabolica calcare figmenta, nullam luci ac tenebris, veritati atque mendacio, turpitudini atque honestati, apud Dei seruos docet esse communionem, sollicitè cauendum, ne vana sectando, defineret esse templum Dei, & habitatio dæmonum fieret, & dæmonis monumentum; lumina sua in Dei figere aspectum, primam quæ doceret, facere, vt fructum doctrinæ suæ ipsa, in cælis, Deo adiuuante, possit inuenire.

Hæc & huiusmodi iterum & iterum materno studio ei inculcans, quasi in omnibus iam perfectam, & ipsa magistram venerari cœpit. Illa, vbi immatura libertate potita est, paulatim à rigore suo deficere, molliorem cultum, lautiores cibum, quæ vitiorum alimenta sunt, desiderare; vltima in choro, prima in conuiuio, puellarum fabulis interesse, ac in omnibus laxius se agere cœpit. Pro huiusmodi leuitatibus, dum eam frequenter sancta Dei inter se priuatim, publicè coram omnibus, secundum Apostoli præcepta, sæpius argueret, obsecraret, increparet, nec illa materteræ velut patrocinio aut familiaritate vanè confisa, vlllo modo emendaretur; quadam die, dum ipsa cum Conuentu Crucem (nam dies Dominicus erat) sequitur, Abbatissa defuit. Quam illa inquirens, & epulantem cum coæuis in conclauis reperiens, zelo pietatis armata, cum verbo correptionis dextera maxillam eius percussit; quæ, quasi sigillum quoddam, formam digitorum eius accepit; qua omni tempore vitæ suæ non caruit. De quo nimirum factò constat: quia non tantum pro se, sed & pro aliorum emendatione, hoc pertulit, vt ad melioris vitæ statum à vitiis suis re-  
torqueret.

*Crucem sequi  
est proestio-  
nem comitari;  
hanc enim an-  
tecedit crux.*



CAPVT